

## Die Urkunden Karls des Großen, 221

In nomine sancte et individue trinitatis. Carolus praecedente dei misericordia et subsequente rex Francorum omnibus regni fidelibus tam presentibus quam futuris. Quod scriptura teste didicimus, quod rex, qui sedet in solio regni, dissipat omne malum intuitu suo, per nos credimus impleri, qui tanti nominis curam administramus, si venerabilia ecclesiarum dei loca alicuius doni commodo ditare ac sublimare studuerimus, et nobis id regni nostri statui profuturum minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumque universitas, qualiter Thiothbaldus abbas de monasterio, cuius vocabulum est Noviendo sive Ebershaim, situm in pago Alsaciense super fluvium Illam, quod vir illuster Adalricus sive Athicus dux et coniux eius Bersvinda in Christi nomine et in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli sanctique Mauricii martyris et sociorum eius a novo in suo proprio construxerunt fundo, nostram adiit serenitatem deprecans, ut privilegia, que pia memoriae genitor noster Pipinus eiusque antecessores, reges videlicet Francorum, eidem monasterio locisque, quae ad sustentacionem fratrum ibidem deo servientium pertinent, [concesserunt], renovemus. Praecipimus ergo per nostri principatus auctoritatem praedecessorum nostrorum constituta firmantes, ut in villas, quas praefatus dux in dotem ecclesiae supradicti monasterii cum omnibus pertinentiis suis, ecclesii scilicet agris areis edificiis terris videlicet cultis et incultis curtificiis mancipiis utriusque sexus pratis pascuis silvis venationibus aquis aquarum decursibus piscationibus molendinis viis et inviis exitibus et redditibus quesitis et inquirendis vel qualitercumque nominatis utilitatibus ad ipsa predia pertinentibus delegavit, hoc est in Wishuvilare, quae sita est in pago Brisigaugensi supra ripam Rheni fluminis cum omnibus appendiciis suis, in Sulza cum omnibus ad se pertinentibus, in Burchheim, in Lagelenheim, in Gruzenheim, in Sigoltesheim, in Rechenhusen, in Oleswilern, in Scerenwilere, in Sarmeresheim, in Hudenheim, in Northus cum omni decima ipsorum prediorum nullus iudex publicus, nulla iudiciaria potesta ingredi praesumat nec aliquem hominum ibi constringat nec causas audiat nec fredam tollat nec mansiones aut paratas ibi faciat nec quidquam de fisco nostro requirat, sed praedictus abbas Thieothbaldus eiusque successores easdem res auumentando ac meliorando potestative possideant. Et ut haec nostrae ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, hanc chartam iussu nostro conscriptam manu propria confirmantes sigilli nostri impressione roboravimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Actum Ingelenheim palacio publico anno dominicae incarnationis DCCLXX, regnante Carolo Magno anno octavo regni eius; in dei nomine feliciter; data nonas idus marcii.

Ego Durandus cancellarius scripsi et subscripsi.